

sia sunt, comprehenduntur. Numeratio sic prior est creato-
 rum, & vocatorum, altera vocationem acceptantium; Illa
 generalis est ad omnes se extendens: haec specialis & ad fi-
 deles pertinens: In utraque vero Numen benignissimum
 homines tanquam objectum merae suae misericordiae re-
 spicit, & benevolentia universali vera seriatim complecti-
 tur, idque in Christo & propter Christum, in quo unice,
 tanquam ἀγαπητῶ, Patri grati esse possunt. Vtrobique sane
 magnus est eorum numerus, & revera ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσ-
 σης id est innumerabilis, & non mensurabilis, nimirum
 quoad nos & humana arte ac ingenio. Frustra enim sunt &
 cum coeteris monstroforum ingeniorum nugis explodenda
 commenta nonnullorum, qui a condito mundo homines
computare & post *computum factum* asserere audent, vix ad-
 huc tot homines esse natos, quot ad tegendum orbis glo-
 bum, si unicuique corpori mensura certa assignetur, re-
 quirantur, nec prius exitum mundi ingruere, quam nu-
 merus iste sit completus. Hoc sane penes nos certum est,
 Deo constare illum numerum omnium & singulorum ho-
 minum, quotquot fuerunt extant & futuri sunt, tum ex ca-
 pite *creationis & providentiae*, cum curam & sollicitudinem
 omnium suscipiat, & vel capilli capitis ab ipso numerati di-
 cantur *Matth. X, 30.* tum ex capite *redemptionis*, cum pro
 omnibus & singulis mortuus sit Christus *1. Tim. II, 6.* ne uno
 quidem excepto, postquam singula generum sub voce omni-
 um comprehendendi, dudum a Nostratibus evictum est: tum
 ex capite *Sanctificationis*, quoniam neminem ne minutissi-
 mum quidem infantem, vocatione & oblatione gratiae ex-
 cludit *1. Tim. II, 4.* & accurate praeterea novit, qui sint sui
2. Tim. II, 19. tandem exquisitum quoque *calculum* instituit eo-
 rum, qui ob veritatem Evangelii vitam ac sanguinem profude-
 runt, eosque omnes in unam *summam computat.* *Luc. XI, 50. 51.*